



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 147. Seniores ex Cardinalibus Polo adversantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI. præponerent: cum vero quadam die,
A.C. 1549. a Ludovico Priullo Nobili Veneto fami-
 liari suo, ac ob morum probitatem per-
 caro e fomno excitaretur, atque admoni-
 tus esset, quod Cardinales adventassent,
 abs dubio proximam ei electionem si-
 gnificaturi, amice eum redarguit: Car-
 dinalibus vero hæc significavit: „ Sum-
 „ mopere optarem, ut tanti momenti
 „ negotium, quod potius pertimescen-
 „ dum, quam desiderandum est, matu-
 „ re, ac ordinate, non autem inconside-
 „ rate, & præpropere perficeretur: de
 „ cetero noctis tempus ad tale opus
 „ minus congruum mihi videtur, cum
 „ Deus sit Deus lucis, non autem te-
 „ nebrarum. Deum itaque melius ho-
 „ norari arbitror, si res ad alteram diem
 „ differatur. „

§. CXLVII.

*Seniores ex Cardinalibus Polo
adversantes.*

Tham. l. c. Cum autem Poli competitores vereri
 inciperent, ne omnes Cardinales
 tam raro, ac fere nunquam audito mo-
 destiæ exemplo commoti unanimi voce
 Reginaldum Polum Sedi Apostolicæ
 præficerent, ac aliunde Virum haud a-
 deo senem eligi, & proin eorum plures
 perpetua obtinendæ hujus dignitatis
 spe

spe excludi ægre ferrent, hinc eidem ad-
 versari incæperunt, tantaque dexteri-
 tate rem moderabantur, ut ex juniori-
 bus potissimos ad suas partes pertrahe-
 rent. His ergo pluribus suggerebant,
 electionem esse differendam usque ad
 adventum eorum Cardinalium, qui jam-
 jam in itinere erant, cum ex illis plures
 natione Galli forent. Verum Cæsareæ
 factionis Cardinales comperto istorum
 consilio die nona Decembris, & nona
 itidem diei hora conventum agere, ibi-
 demque Poli electionem proponere de-
 cernebant; sperabant enim, fore, ut res
 ad sententiam cederet, eoquod suorum
 numerus ad validam Papæ electio-
 nem sufficeret: Nihilominus, cum Car-
 dinalis S. Marcelli, ac Verallus hujus
 factionis principes adversa valetudine
 præpediti abessent, iis insciis nil ten-
 tandum existimabant nonnulli, eapro-
 pter rem usque ad posteram diem disse-
 rebant, satis certi, quod ipsi, si omnes
 promissis starent, præscriptum suffragio-
 rum numerum excederent: nec tamen
 hoc consilium tanta taciturnitate ce-
 lare poterant, quin illius notitia ad
 Montanum, Cæsium, & Gadium Car-
 dinales, quibus itidem ad Pontificatum
 spes erat, pertingeret, hinc quantocius
 de tota rei serie Cardinales Gallos e-
 docebant, ut sese huic consilio oppone-
 rent:

G 5

rent:

Sæcul. XVI.
A.C. 1549.

Sæcul. XVI. A.C. 1549. runt: Salviatus quoque cum suis amicis conferens eos, ut suffragiorum collectionem differrent, rogabat, spe fretus, quod longioris moræ beneficio plures a Reginaldi Poli studio avertere posset: verum denegata induciarum venia rursus apud suos amicos instabat, ut saltem huic Cardinali non faverent. Ast cuncta hæc molimina haud præpedire poterant, quominus tam in scrutinio, quam in *accessu*, ut vocant, viginti sex suffragia in Polum concurrerent: cum vero ex quadraginta novem Cardinalibus in conclavi congregatis solus triginta tria ferre debuisset, hinc ea die res absoluta non fuit.

§. CXLVIII.

Cardinalis Polus de Lutheri hæresi accusatus.

Sleid. comm. lib. 21. p. 774.
Thuan. lib. 6. n. 4. Cum Cæsarei Cardinales e re sua plurimum fore censerent, si ante Gallorum Cardinalium adventum prima suffragiorum inspectio fieret, hinc altera die in Sacello congregati suffragia colligi instanter petebant, quibus id etiam datum est. Ergo re divina prius peracta calici, qui in Altari collocatus erat, suas quisque schedas imponunt, iisque apertis Polus nonnisi octodecim sibi suffragantes habuisse reperitur, cum vero